

[Deutsche Entomologische Zeitschrift 1890. Heft II.]

Mylabridum seu *Bruchidum*

recensioni a Flaminio Baudi conscriptae addenda.

(Vide Deutsche Ent. Zeitschr. XXX, p. 385; XXXI, p. 33 et p. 449.)

Mylabris emarginata Allard etiam in Algiria a D. Desbrochers reperta: graecis quibusdam maribus e Monte Parnasso a Prof. Krüper atque ex Attica a D. Emge missis antennae vel prorsus rufae vel articulis subterminalibus infuscatae: duobus speciminibus a Doctore Faust ad Lepsinks in Turkestan collectis mas antennarum articulis sexto-nono nigrescentibus variat, foemina antennis gracilioribus pedibusque ut in mare coloratis, pygidii macula in utroque sexu minore.

M. brachialis Fahrs. foemina e Neomago (Nyons) in Gallia mer. a Doctore Jacquet communicata variat antennis articulo ultimo etiam nigro, pedum mediorum tarsis rufescentibus.

M. pallidicornis Bohm. variat foemina e Beryto in Syria a D. Ganglbauer, ex Imperiali historiae naturalis Musaeo Vindobonae, corporis superne pube crassiore, antennis, pedibus anticis, mediorum tibiis eorumque tarsis rufo-testaceis.

Var. *inornata* Küster etiam in Algiria a D. Desbrochers collecta.

M. lentis Bohm. ad Derbent a Doct. Faust, in Algiria a D. Desbrochers iuventa.

M. sertata Ill. graecis speciminibus quibusdam corporis pubes, praesertim superne multo densior, fascia elytrorum albida latior.

M. griseomaculata Gyll. et in Algiria vivit, D. Desbrochers: gallica specimina a D. Croissandieu interdum in utroque sexu variant antennis pedibusque nigris, illarum articulis solummodo basalibus obscure rufescentibus.

M. affinis Froehl. foeminam pube corporis ochraceo-aurantiaca ex Algiria D. Bedel humaniter donavit quae antennis nigris, articulis tribus primis rufis, supra infuscatis pedibusque omnibus nigris variat. Antennis pedibusque pari ratione depictis marem e Caucaso occ. Doctor Faust ad examinandum misit, corpore parva, superne pube normaliter griseo-varia.

M. dentipes Baudi. Beryto in Syria haud rara videtur ex D. Ganglbauer communicatis.

M. loti Payk. speciminibus quibusdam e Gallia centrali, prorsus illaesis, plane conspicabiles tam macula praescutellaris ad thoracis basin, quam scutellum et plaga elytrorum angusta eum circa pube albida ornata utpote a D. Allard de vera *loti* allatum. Species interdum variat pedum mediorum geniculis in utroque sexu rufis.

M. ornata Bohm. variat pygidio in mare immaculato, pube albida uniformiter obtecto: Aegypto.

M. quadrimaculata Fabr. oblongo-ovata, nigra, infra dense albido, supra, in mare praesertim, maculatim flavo alboque pubescens, antennis, pedibus elytrisque ferrugineis; hisce angustioribus; thoracis macula basali bifida albo-pubescente depressa, elytris macula magna laterali apiceque nigris.

A chinensi et *ornata* corpore, elytris praesertim, magis elongato, angustiore, quasi lateribus compresso nec non elytris planatis plane distinguitur. Caput ut in citatis speciebus constructum, oculis pro sexu pari ratione invicem approximatis, minus subtiliter quam in *ornata* reticulatis, antennis fere veluti in hac subfiliformibus, articulis 4—10 plus minusve elongato-obconicis, apice anteriore leviter dentatis, in mare plerumque longioribus, apicem versus infuscatis. Thorax quam in citatis speciebus minus late conicus, saepe relative longior, dorso minus rugosus, punctura ejus duplii sub pube magis distincta, macula basali haud in callum elevata. Maris pygidium apice curvatum, albo-pubescent, foeminae pube nigra vel brunnea saepius parcius indutum, lineola longitudinali media albo-pubescente. Plura ex Aegypto in phaseolo atque e Kordofan a D. Ganglbauer ad examinandum missa; e Gallia meridionali atque Algiria in coll. Desbrochers indicata¹⁾.

M. varicolor Bohm. ovata, nigra, thorace rugoso-punctato, elytris punctato-striatis, dorso medio rufo-lituratis, lineis punctisque albidis et rufescensibus, thorace pygidioque maculis e pilis albo-flavescensibus variegatis; antennis nigris, basi tibiisque anterioribus cum geniculis et tarsis rufo-testaceis.

Statura et habitu minoribus *M. atomariae* Lin. quodammodo accedens, at thoracis femorumque posticorum structura ad *chinensis* divisionem spectans, huic thoracis forma proximior nec non femoribus posticis subtus canaliculatis, dente porro extimo obsoleto, spina interiore adhuc valida atque magis acuminata armatis.

¹⁾ Minus recte *ornata* et *quadrimaculata* pro synonymis *chinensi* in recentiore Catalogo Marseul subjunctas censeo.

Caput angustum, deflexum, opacum, creberrime subtiliter punctulatum, collo longiore thoraci adfixum, fronte medio subtiliter carinata; oculi prominuli, subtiliter reticulati; antennae vix longitudine dimidi corporis, basi tenues, ab articulo quarto apicem versus sensim incrassatae atque leviter compressae, articulis 8—10 sensim brevioribus, pubescentes, nigrae, basi ferrugineae. Thorax conicus, modice convexus, lobo medio baseos lato, apice subemarginato atque impresso, niger, opacus, crebre rugoso-punctatus, maculis parvis e pilis albo-flavescens, ad marginem posticum longioribus conspersus. Scutellum subquadratum, albido pubescens. Elytra antice thoracis basi parum latiora, illo fere duplo longiora, humeris leniter prominulis, pone humeros ultra medium ampliata, dein angustata, supra parum convexa, subnitida, regulariter punctato-striata, nigra, dorso pone medium indeterminate rufo-sanguinea, nigro-pubescentia, maculis et lineolis e pube albida intermixtis, interstitiis quarto et sexto postice conniventibus et in unum productis dense et laete flavo-pubescentibus. Pygidium semiellypticum, utrinque subtiliter marginatum, crebre punctulatum, nigrum, maculis e pube albo-flavescente, apice parcus, consparsum.

Corpus infra paulo nitidius, subtiliter punctulatum parceque griseo-pubescent, pube ad metasterni latera, coxarum apicem extimum et uniuscujusque segmenti latus in maculas albas condensata. Pedes anteriores tenues nigri, geniculis, tibiis tarsisque rufo-testaceis vel ferrugineis, postici paulo validiores, nigri, femoribus modice incrassatis.

Duo specimina, verisimiliter foeminae a D. Ganglbauer ad examinandum missa, utpote ab Heeger in Sicilia reperta ab eodem indicata; ad varietatem β a D. Fahraeus in Schönherr, Gen. et Sp. Curae. tomo V, p. 90, consignatam referenda videntur.

M. lamelligornis Baudi ad *rubiginosam* Desbrochers referenda, qui foeminam, ipse marem descriptsimus.

Foemina a D. Desbrochers communicata mare statura aliquanto minor, fulvo potius quam griseo-pubescent, pube tantisper in elytris flavescente varia, capite parum pubescente nigro, anterius medio leniter admodum longitudinaliter impresso: antennae fere filiformes, ab articulo quarto ad decimum leviter compressae, unde apicem versus sensim crassiores a latere inspectae videntur, testaceae, articulo primo nigro. Thorax, elytra basi indeterminate et corpus infra, etiamsi pube sat densa obtecta, nigra adparent: pygidium ut in mare constructum atque uniformiter pubescens, apice autem nec recurvo neque acuminato, abdominis segmentis subaequalibus, medio

non constrictis. Pedes ferruginei, femoribus posticis basi nigris, interne ante apicem spinula distincta armatis.

Nullum mihi dubium *lamellicornem* meum *rubiginoso* pro pro unica specie referendum eo magis quod in maribus duobus postinde ex Asia minore acceptis nonnullae descriptionis meae notae minus constantes videntur: uni nempe caput leniter anterius clypaeo impressum, tuberculum frontis nitidum aliquanto distinctius, thorax et corpus infra nigrescentia, elytra pube flavescente tantisper varia, femora postica spinula simplici armata videntur. Alter mas cum *lamellicorni* apprime congruit, at ei caput carinula media instructum.

M. quinqueguttata Ol. etiam Graecia obvia, Prof. Krüper atque Lusitania Prof. Paulino de Oliveira: varietatis ex Algiria, quam ad *paracenthesin* Mots. referendum autumavi plura ex eadem regione D. Bedel humaniter donavit atque admonuit ei referendum *Spermophagum eximium* Chevr. in Ann. Soc. Ent. de France 1872, p. CLVIII, cuius descriptio prope cum varietate *meleagrina* Gène conferre patet, potius quam cum *longicorni* cui in recentiore Catalogo Marseul pro synonimo sub juncta. Varietas eadem etiam in Syria vivit.

M. leucophoea All. Mutabilis interdum mas elytris, basi excepta, rufo-ferrugineis, pube pariter ac thorax piliformi parum dense induita atque valde inaequaliter sparsa, maculis elytrorum albidis minus determinatis; antennis ferrugineis, basi rufo-testaceis, pedibus omnibus rufo-testaceis, posticorum femoribus basi tarsisque nigris: Smyrna.

Alter e Beryto a D. Ganglbauer mas variat statura dimidio minore, elytris triente apicali ferrugineis, pedibus ut supra, tum foemina adhuc multo minor.

M. algirica All. Variat foemina thorace pube obscure castanea superne induto, lateribus a medio ad basin late et litura media postice dilatata albo-pubescentibus ornato; pube flavescente in elytris magis diffusa, a tertio nempe usque ad septimum interstitium, denuo in octavo et nono sat procul a basi et paulo ante apicem abbreviata, macula obscure umbrata interrupta; pygidii maculis basalibus e pube albescente latera secus una cum litura media apicem usque productis. Aegypto a D. Ferrari in seminibus Fabae minoris sec. Ganglbauer.

M. incarnata Bohm. (nec *rubiginosa* Desbr.) var. *Mocquerisi* Kraatz, tota rufo-testacea, pube pallide flavescente subaequa-

liter induta, humeris denudatis pariter a D. Ferrari ex Aegypto cum praecedente relata.

M. cinerifera Fahr.: hujusce speciei utpote Aegypti incolae a D. Allard allatae specimen e Mexico accepi, auctoris descriptioni apprime conveniens, statura tamen aliquanto majus, obscure piceo-castaneum, caeterum forma, antennarum pedumque colore identicum.

M. caliginosa Baudi: praecedente paulo minor, *mimosae* prope statura at oblongior, nigro-picea, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, pube superne fuliginosa, infra cum thoracis lateribus inflexis albo flavescente induta. Caput validum, ut in *cinerifera* extrectum, oculis quam in *mimosa* majoribus et magis globosis, minus quam in ea inter se distantibus, fronte lineola transversa a clypeo distincta, hoc breviusculo, basi latiore et apicem versus fortius attenuato, fronte aequali, sordide flavo-pubescens, relicto ut in *cinerifera* spatio verticis triangulari denudato. Antennae capitum cum thorace vix longitudine, basi tenues, ab articulo quinto apicem versus sensim leniter incrassatae, articulis ultimis latitudine fere brevioribus, testaceae, interdum apice tantisper infuscatae. Thorax conicus, forma *irresectae* proximior, at basi utrinque profundius sinuatus, lobo medio latiore, apice subtruncato, subtilius quam in hac et densius distinete punctatus, lineola longitudinali media pube albida ornata subtiliter suleatus, ad sinus postice evidenter obliquatim impressus, subtiliter parum dense pubescens. Scutellum semiellypticum, griseo-pubescens. Elytra thorace sesqui fere longiora, antice ejus basi vix latiora, humeris non prominulis, a basi ad trientem usque leniter ampliata, inde ad apicem modice attenuata, apice singulo rotundato, utrinque abdominis latera parum tegentia, subtiliter striata, pube subtilissima fuliginosa sat dense induta, maculis oblongis perparvis, parum perspicuis e pube albescente consparsa. Pygidium elongatum, oblongo-semiellypticum, perparum convexum, parum declive, subtilissime fuliginoso-pubescens, obsolete griseo-varium; abdominis segmento dorsali ultimo interdum detecto, quemadmodum ejusdem segmentorum ventralium latera superne nigro-fuliginosa. Corpus subtus dense subtiliterque sericeo-flavescente pubescens, plus minusve ferrugineum, metasterni lateribus distinctius parce punctatis; abdomen elongatulum, segmentis tribus mediis aequilongis, ultimo duorum praecedentium complexive quasi longiore. Pedes rufo-testacei, anteriores tenues, postici validiores cum femoribus valde incrassatis, subtus interne spina valida duabus vel tribus minoribus concomitata armatis; interdum inferne fusca cum tibiis tarsisque nigrescentibus.

Corporis totius forma quodammodo *grisescens* accedere videtur at quadruplo major et pone *cineriferam* in systemate collocanda.

Circa Amburgum reperta, a navibus fortasse cum seminibus exoticis advecta, a D. Faust benevole donata.

M. Lallemandi Mars. etiam a D. Bedel tradita, e Biskra in seminibus *Acaciae farnesiana*e vivens.

M. Leprieuri Jacquet (Ann. Soc. Ent. France 1886, p. CLXXI) ex Algiria in *Astragalo* pulchra sane species, optime descripta, quae ante *virgatam* meo visu locum in systemate tenere debet.

M. virgata Fahrs. var. *scutulata* Baudi: statura aliquanto major, thorace paulisper densius rugoso-punctato, elytris pube minus tenui, grisecente, fere unicolora indutis, maculis pluribus subdenu-datis nigris alternatim fere ornatis, una in dorso antico subquadrata ad tertium-quintum interstitium, parva laterali ad 7—8 concomitata, alia majore ad laterum medium pariter subquadrata in 7—9 interstitium, interstitio tertio ad longitudinis circiter medium denudato, macula in ipsomet parva subapicali aliaque paulo majore ad ejus latera virgulaeformi et submarginali prope apicem insignis; spinula femorum posticorum dentiformi paulo validiore. Duo mares e Turkestan a D. Faust ad examinandum benevole missi.

M. obscuripes Gyll. speciminibus e Corsica a D. Croissandeau foeminis quibusdam pubes superne adeo densa ut elytrorum granuli vix conspici queant; aliis equidem foeminis tibiae anticae cum genubus et mediariis apex plus minusve rufo-testacea variant.

M. annulipes All. in ditissima collectione D. Desbrochers benevole examini subjecta *annulipedis* specimen e Sarepta nom. *unicolor* Ol. indictum: nomine *Br. radula* Desbr. varietas tibiis solis anticis rufo-annulatis.

M. astragali Bohm. mares quidam e Turkestan a D. Faust pedibus penitus nigris a genuino discedunt.

M. lineata All. ad Smyrnam et in Asia minore passim obvia: coll. Krüper et Desbrochers.

M. rufisura All. Graeciam quoque inhabitat, imo etiam ejusdem foemina pygidio nudo interdum variat.

Var. *fulvescens* Baudi etiam Beryto et in Attica repertur, foemina modo tota rufo-ferruginea, pygidio pube fulvescente uniformiter obtecto, modo capite, pectore abdomineque piceis, pygidio late medio denudato.

M. anobioides Baudi. Beryto a D. Ganglbauer, Smyrna Doctor Krüper, at non frequens.

M. velaris Fahr. in *Spartii juncei* seminibus evolvitur sec. D. Desbrochers; var. *retamae* Vogel etiam Sardinia, Gallia, Lusitania et Algiria obvenit; var. *lata* All. Romae, Hispania et Algiria parum frequens.

M. uniformis Bris. var. *sordidata* All. in Algiria a D. Desbrochers inventa, variat supra dense griseo-sericeo pubescens, maculis ad elytrorum latera obscuris distinctioribus.

M. varipes Bohm. Mas antennis paullulum longioribus quam in foemina, fortioribus, modice serratis; abdominis segmento ventrali quinto ab apice pygidii curvati et convexioris medio modice constricto. Syriacum specimen quam in foemina multo densius et minus subtiter cinereo-flavescente pubescens, nigrum, antennarum basi pedumque anteriorum tibiis rufo-testaceis, pedibus posticis elytrisque nigris immaculatis.

Accedunt duo foeminae, una ex Italia meridionali in collectione mea, altera simpliciter Italiae nomine indicata in coll. Schneider statura, elytrorum pedumque pictura omnimode cum algerina collectionis D. Allard conformia.

M. holosericea Gyll. Greciae, Macedoniae et Asiae minoris quoque incola; foemina ex Hippona Algiriae in coll. Desbrochers corporis pube minus tenui, dilutius grisea induto, thorace minus crebre inaequaliter punctato, punctis nempe majoribus quasi cycloideis cum minoribus intermixtis, canalicula media baseos brevi, sat impressa discedit.

M. Steveni Gyll. specimen ex Etruria in coll. D. Schneider indicatum.

M. marginalis Fabr. et e Caucaso occid. a D. Faust relata.

M. annulicornis All. in Graecia a D. Emge copiose collecta, Thessalia et Smyrna Doctor Krüper, in Etruria etiam specimen repertum: variat interdum foemina antennis ab articulo quinto ad apicem fuscis vel nigris.

M. imbricornis Panz. antennis pedibusque anterioribus laete testaceis, horum tarsis pedibusque posticis fere totis nigris foemina e Corsica interdum variat.

M. lubrica Gyll. mas antennis longioribus, prorsus laete testaceis, pygidio apice magis convexo et leniter curvato fere unice a foemina distinguitur. *M. tibiali* antennarum praesertim structura valde proxima videtur, hae autem paulo minus elongatae, apicem versus magis compressae et fortiores in *lubrica*: corpus supra minus depresso, thorax convexior, lateribus medium circa leniter rotundatus, supra crebrius, tantisper fortius punctatus, in utroque pree-

terea sexu corporis superne pubes maculatum obscuro, murino albo-que variegata. Syria.

Variant specimina e Magna Bucharia a D. Faust missa corpore supra obscurius pubescente, elytris maculis minutis albidis inaequaliter consparsis, antennis in foemina nigricantibus, articulis primis obscure, ultimo dilutius rufo-ferrugineis, in mare paulo longioribus, sat validioribus, apicem versus compressis, evidentius subserrato dentatis, nigris, articulis tribus primis ultimoque rufo-testaceis.

M. paupera Bohm. var. *corsica* Baudi antennis basi obscure rufo-piceis, pedum quatuor anteriorum tibiis, interdum etiam antecorum femoribus plus minusve obscure testaceis a genuina differt. Fronte uniformiter granuloso punctata absque lineola elevata ad *carinatam* Gyll. referri nequit. Plura utriusque sexus in Corsica collecta D. Croissandieu examinanda misit.

M. foveolata Gyll. Europa meridionali et finitimis mediterraneis regionibus vulgatissima, statura et pubescentia admodum mutabilis species rarius variat supra nitidula, pube omnium tenuissima, parum densa obscure grisecente, infra sat densa albida. Utriusque sexus nonnulla specimina mediae stature e Corsica et Algiria prae oculis obvenerunt, quae propius cum *sardoa* Mots. convenire fortasse videntur.

M. grandicornis Blanch. etiam in Graecia D. Krüper, in Gallia mer. D. Croissandieu inhabitans, in Corsica interdum variat antennis in mare rufis, medio plus minusve infuscatis, in foemina nigris, articulis tribus primis ultimoque rufescensibus.

M. Mulsanti Bris. Graeciae ex Emge, Galliae occid. Mayenne in coll. Desbrochers incola.

M. (Kytorrhinus) quadriplagiata Mots. var. *luteipennis* Baudi elytris laete flavo-testaceis, anguste summa basi et suturam secus subtiliter usque pone medium infuscatis, antennis pedibusque flavo-testaceis, illarum flabellis, horum femoribus basi tarsisque nigris. Duo mares e Tataria a Doctore Faust comiter missi. Varietatem hanc Doctor Kraatz in Berliner Ent. Zeitschr. 1868, pag. 216 adumbravit utpote a D. Becker prope Serepta repertam.

M. immixta Mots. duobus jampridem delineatis aliud par e Samara D. Faust humaniter praebuit, mas femoribus quatuor posterioribus, foeminae posticis subtus tantummodo subtus infuscatis.

Caryoborus pallidus Ol. Graecia etiam D. Krüper et coll. Desbrochers: duo foeminae e Birmania a D. Faust traditae variant corpore obscuriore, capite thoraceque nigro-piceis, elytris medio

praesertim atque ad latera brunneo-ferrugineis, pube minus densa, parum tenui cinerea et ferruginea minute variegatis, caeteris omnime mode cum genuino convenientes.

Spermophagus Heydeni All. Marem e Shiraz in Persia a D. Ganglbauer etsi quibusdam parvi momenti notis discedat, hoc referendum censeo: hisce enimvero tantummodo ex descriptione discedit. Corporis pubes inferne albescens, thoracis flavescent, fere uniformis at sat densa unde tegumenti punctura parum conspicua; elytris equidem quasi per fascias duas transversas composita, fascia posterior flavescent, anterior pube albida commixta, medio late interrupta, extrorsum fere virgulatim humeros secus adscendens, basi ipsa elytrorum intra humeros late pubescente. Tibiarum posticarum spinulae rubidae; pygidium ut in maribus affinibus apice curvatum et acuminatum, segmento ventrali ultimo apice medio emarginato.

Urodoninis quaedam addenda.

(Vide Deutsche Ent. Zeitschr. XXXI, p. 480.)

Urodon suturalis Fabr. var. *angularis* All. foemina quoque corporis pube ut in mare distributa in coll. Desbrochers ex Algiria prostat.

U. scaber n. sp. *Subovatus, sat convexus, niger, creberrime granulosus, subtiliter parum dense albido pubescens; rostro longiusculo, utrinque et medio subtiliter carinato; thorace latitudine vix longiore, lobo baseos lato parum producto, angulis posticis subrectis; elytris stria suturali et marginali nullis.* — Long. 3 circiter mill.

U. suturalis statura, facie *conformi* proprius affinis, nigerimus, corpore fortius granuloso nec non rostri structura a congeneribus distinctus. Caput mediocre, ante oculos sat elongatum, hisce parum prominulis, epistomate apice emarginato, supra planatum, utrinque argute carinatum, carinula media elevata verticem non attingente, punctis latis, parum profundis, subocellatis crebre impressum: antennae mediocres, longitudine thoracis medium vix attingentes, articulis 3—5 longulis, longitudine sensim decrescentibus, 6—8 parvis, moniliatis, reliquis abrupte majoribus, 9—10 subtransversis, ultimo hisce simul sumtis longiore, nigrae, articulis 2—5 testaceis. Thorax latitudine maxima medium versus sita vix longior, a medio ad apicem rotundatim attenuatus, basi ad angulos posticos subrectos leniter utrinque sinuatus, lobo medio amplio, parum producto, rotundato, breviter utrinque albo penicillatus, supra sat convexus, aequaliter fortius granulato-rugosus, pilis albidis

brevibus tenuibusque parce obsitus. Scutellum immersum, triangulare. Elytra convexa, latitudine baseos vix triente longiora, creberrime granulosa, granulis quasi acupuncturatis, sensim posterius minus scabra, pilis subquamosis albidis paulisper densius quam thorax uniformiter obtecta. Corpus infra cum pygidio albido pilosulum; pygidium anguste et profunde medio in integrum sulcatum. Pedes omnino nigri, subtillime pilosuli, tarsis subtus pilis albidis emergentibus dense hirtis.

Mas abdomine infra modice, apicem versus multo profundius excavato, segmento quinto utrinque in dentem decumbentem, obtusum, apice longe penicillatum producto.

Etsi multis cum descriptione *albidi*, qui nunc prae oculis deest, accedere videatur, corporis habitu et vestitura prope *conformem* Suffr. systematice collocandus.

Unicum marem in collectione D. Desbrochers vidi, a D. Abeille in Syria lectum.

Eadem e collectione valde acceptum fuit mihi hucusque incognitum *Urodonem spinicollem* Perris noscere, ad Oran in Algiria anno elapso a D. Desbrochers lectum, ob longam acutam-que spinam qua anguli thoracis postici producti sunt inter congeneres admodum singularem.

Mas abdomine apicem versus solummodo arcuato distinctus, basi parum, apice modice medio excavato, segmento quinto utrinque anguste latera pygidii secus producto, angulis ejus apicalibus proinde invicem parum distantibus.

U. testaceipes Reiche. Mas abdomine parum curvato, subtus leniter impresso, ad apicem solummodo parum profunde excavato, segmenti quinti lobis descendantibus, plus minusve divaricatis, angulo apicali anteriore extus glabro, inferne longe albo ciliato. Algiria D. Desbrochers.

U. concolor Fahrs. in Rossia mer., Caucaso, Tataria et Calabria nec non in Syria et Algiria obvius, variabilis admodum corporis pube (vide Deutsche Ent. Zeitschr. XXXI, 1887, p. 488) modo grisea plus minusve albescente aut flavescente, plus minusve tenui, modo etiam tibiis solis anticis vel intermediis quoque testaceis aut ferrugineis, qua propter nullo alio intercedente discriminé sive in corporis forma sive in abdominis maris structura mihi abunde suasum *Urodonem villosum* (Stierl.) Allard a *concolore* specificē haud distinguendum.

In ditissima collectione Desbrochersi e duobus nomine *vilosus* typicis a Stierlin e Sarepta inscriptis uni corpus pube grisea, alteri

griseo-flavescente indutum, ambobus elytris late suturam secus pube albescente ornatis, pedum quatuor anteriorum tibiis plus minusve testaceis. Quibusdam pariter e Rossia mer. in coll. mea tibiae solae anticae ferrugineae. Specimen e Syria a D. Abeille apud Desbrochers pube prorsus albida piliformi uniformi obtectum, antennis totis tibiisque anticis laete testaceis. Specimen in Algiria a D. Desbrochers collectum variat pube minus tenui, perquam densa flavescente, suturam secus albida in elytris ornatum, auten-narum basi tibiisque anticis obscure ferrugineis.

U. flavescentis Küst. variat in Algiria rarius pedibus totis testaceis: coll. Desbrochers.

U. pygmaeus Gyll. Statura interdum valde variabilis, foemina e Derbent a D. Faust pro specie maxima, duo e Samara ab eodem utroque sexu parvuli admodum, corporis pube multo subtiliore, sericea potius quam piliformi.

Index specierum.

Mylabris:	pag.	Mylabris:	pag.	Mylabris:	pag.
emarginata All.	337	caliginosa Baudi	341	lubrica Gyll.	343
brachialis Fahrs.	337	Lallemandi Mars.	342	paupera Bohm.	344
pallidicornis Bohm.	337	Leprieuri Jacq.	342	v. corsica Baudi	344
v. inornata Küst.	337	virgata Fahrs.	342	foveolata Gyll.	344
lentis Bohm.	337	v. scutulata Baudi	342	grandicornis Blanch.	344
sertata Ill.	337	obscuripes Gyll.	342	Mulsanti Bris.	344
griseomaculata Gyll.	337	annulipes All.	342	quadriplagiata Mots.	344
affinis Froehl.	337	astragali Bohm.	342	immixta Mots.	344
dentipes Baudi	337	lineata All.	342	Caryoborus:	
loti Payk.	338	rufisura All.	342	pallidus Ol.	344
ornata Bohm.	338	v. fulvescens Baudi	342	Spermophagus:	
quadrimaculata Fbr.	338	anobioides Baudi	342	Heydeni All.	345
varicolor Bohm.	338	velaris Fahrs.	343	Urodon:	
rubiginosa Desbr.	339	uniformis Bris.	343	suturalis F.	345
lamellicornis Bd.	339	v. sordidata All.	343	v. angularis All.	345
quinqegettata Ol.	340	varipes Bohm.	343	scaber Baudi	345
leucophaea All.	340	holosericea Gyll.	343	spinicollis Perris	346
algirica All.	340	Steveni Gyll.	343	testaceipes Reiche	346
incarnata Bohm.	340	marginalis Fabr.	343	concolor Fahrs.	346
v. Mocquerisi Kr.	340	annulicornis All.	343	flavescens Küst.	347
cinerifera Fahrs.	341	imbricornis Panz.	343	pygmaeus Gyll.	347

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Deutsche Entomologische Zeitschrift \(Berliner Entomologische Zeitschrift und Deutsche Entomologische Zeitschrift in Vereinigung\)](#)

Jahr/Year: 1890

Band/Volume: [1890](#)

Autor(en)/Author(s): Selve Flaminio Baudi a

Artikel/Article: [Mylabridum seu Bruchidum 337-347](#)